


+ SECUNDUM +

ego recepissem utique quod meum est cum usura.
tollite itaque ab eo talentum. & date ei qui habet
decem talenta.

Omni enim habenti dabitur. & habundabit. ei autem
qui non habet. & quod uidetur habere auferetur ab eo.

Et inutilem seruum. eicite in tenebras exteriores.
illic erit fletus & stridor dentium.

Cum autem uenerit filius hominis in maiestate sua. &
omnes angeli cum eo. tunc sedebit super sedem maies
tatis sue. & congregabuntur ante eum omnes gentes.
& separabit eos ab inuicem. sicut pastor segregat oues
ab hedis. & statuet oues quidem a dextris suis. hedos
autem a sinistris. tunc dicet rex his qui a dextris eius
erunt. uenite benedicti patris mei. possidete paratum
uobis regnum a constitutione mundi. esurui enim
& dedistis mihi manducare. sitiui & dedistis mihi
bibere. hospes eram & collegistis me. nudus & coope
ruistis me. infirmus & uisitastis me. in carcere
eram & uenistis ad me. tunc respondebunt ei iusti
dicentes. domine quando te uidimus esurientem & pa
uimus. sitientem. & dedimus tibi potum. quando
autem te uidimus hospitem. & collegimus te. aut
nudum. & cooperuimus. aut quando te uidimus
infirmum. aut in carcere. & uenimus ad te. & respon
dens rex dicet illis. amen dico uobis. quamdiu fecistis
uni de his fratribus meis minimis. mihi fecistis.
tunc dicet & his qui a sinistris erunt. discedite a me

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
MANCHESTER 1824
The University of Manchester
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Copyright of The University of Manchester, John Rylands Library 2013
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/jrl_latin-ms-9/0092